

comitatum, non vt honorem, sed in possessionem perpetuam episcopatui Zagrabienſi contulerimus irreuocabiliter poſſidere. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem praesentes conſeſſimus litteras dupplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus M. Demetrii, Praeſoſiti Albendiſ, aulae noſtrae Vice-Cancellarii dilecti et fidelis noſtri, anno Domini MCCLXXVII, regni autem noſtri anno quinto.

Kerčelić. Hiſt. Eccl. Zag. p. 89. — Katona. Tom. VII. pag. 721.

LXXI.

Anno 1279.

Ladislauſ Rex privilegium Nicolai Bani totius Slavoniae de libertatibus Nobilium Campi Zagrabienſiſ tranſſumit et confirmat.

Ladislauſ, dei gratia Hungariae, Dalmatie, Croatiae, Rame, Seruie, Gallitiae, Lodomerie, Cumanie, Bulgariaeque Rex. Vniuerſiſ Chriſti fidelibus, ad quos praesentes peruenerint, ſalutem in omnium ſaluatore. Ad vniuerſorum notitiam tenore praesentium volumus peruenire: Quod accedens ad noſtram praesentiam Comes Ladislauſ, filius Gumzyna, Jobbagio Caſtri noſtri Zagrabienſiſ, pro ſe et aliis ſociis exhibuit nobis priuilegium Nicolai Bani totius Sclauoniae, petens cum inſtantia, vt idem ratum habere, et noſtro dignaremur priuilegio confirmare; cuius quidem priuilegii tenor iſ eſt: Noſ Nicolaus, Banus totius Sclauoniae, ſignificamus tenore praesentium, quibus expedit, vniuerſiſ: quod cum feria tertia proxima ante aſcenſionem Domini congregationem regni Sclauoniae Zagrabie haberemus generalem, vniuerſi Jobbagiones Caſtri Zagrabienſiſ ad noſtram accedentes praesentiam, in communi concilio predicto, conditiones libertatum ipſorum antiquas nobis expoſuerunt ſub hac forma: Quod perſolutis commutationibus deſcenſuum, ex parte ipſorum prouenientibus, nec Vice-Judex noſter, aut Curialis Comes eiſdem, deſcenſum facerent, eo facto a debito commutationis deſcenſus iſdem Jobbagiones caſtri eſſent expediti; ſi vero deſcenſum non facerent, ex tunc ſemel in anno, ſcilicet circa feſtum Sancti Martini, ratione eiſdem deſcenſus, Comiti noſtro decem et octo penſas iſdem Jobbagiones dare tenerentur; et ſub eadem forma ratione deſcenſus noſtri in feſto predicto nobis octo marcas ſoluere tenerentur; eo quod nec Judex noſter, nec Curialis Comes ipſius in eundo verſus Gozd, vel redeundo, deſcenſum facere poſſent inter ipſos, vel familia eorundem, aut noſtra. Item quantum in habita compositione aduerſe parti darent, tantumdem Judici dare tenerentur, nec aliquis poſſeſſionatus ratione alicuius debili deberet captiuari. Si quis vero ex ipſiſ contumacia ductus uſque ſeptimum terminum